



Irmenfridus apud Thuringos ingenti fortitudine insignis fuit, circa annum Christi quingen-
tesimum tricesimum. Eū itaq; Thuringiū principem elegerunt. Id cum Theodoricus Clodouei
filius Austrasiorum rex intellexisset, atq; Thurin-
gorum gentem sibi conciliare uellet, Irmenfrido
uxorem suam uxorem dedit. Postea etiam lega-
tos ad eum misit, petens ut Thuringiā æterno fœ-
dere Francis coniungerentur. Hæc quidem lega-
tio Irmenfrido erat gratissima. Verūm cum totam
causam ad suæ gentis proceres retulissent, reginæ
uxoris suæ cōsilio factum, ut proceres, inter quos
Irtingus princeps erat, fœdus recusarent, atq; The-
odorico obijcerēt, eum illegitimo thoro natum, ita ut tantum in Francos im-
perium ei nequaquam competit. Nam Theodoricī ex patre soror fratrem su-
um odio prosequebatur, atq; se legitimam patris heredem æstimabat. Id cum
legati Theodorico regi retulissent, magnis copijs Rheno transgresso in Thu-
ringiam properauit, atq; Irmenfridum bello persequi statuit. Verūm ibi in lo-
co Runiberg eum ualida manu se expectatēm inuenit. Vnde certamine com-
misso pugnatum est ancipiti prelio per bīdūm. Tertio uero die Irmenfridus
multitudine Francorum superatus, sese ad loca tutiora recepit. Tum quidem
Theodoricus Irmenfridi uirtutem miratus, statuerat mortuos sepelire, & in
suum regnum redire. Verūm cuiusdam gregarij militis cōsilio motus senten-
tiā mutauit, atq; Saxones Thuringorum hostes in auxilium uocauit, & Ir-
menfridum persequi statuit.